

DE
LARO RIDIBUNDO
PERICULUM ORNITHOLOGICUM,

Venia Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ Aboenſis,

Publicæ diſquſitioni ſubjiciunt

LAURENTIUS JOHANNES PRITZ,

PHILOSOPHIE MAGISTER, STIPENDIARIUS HAAREMANNIANUS,

ET

RESPONDENS

LAURENTIUS ADOLPHUS PRITZ,

FRATRES, NOBILES, WIRBURGENSES.

Particula Prima,

In Auditorio Medico, die VIII Maji MDCCCXI

horis ante meridiem ſolitis,

ventilanda.

*Multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit: nec ulli nato poſt
mille ſacula præcludetur occaſo aliquid adjicienti. SENECA.*

ABOÆ, Typis FRENCKELIANIS.

KAPTENEN

VID F. D.

KONGL. LIF-DRAGONE-REGEOMETET

WÄLBORNE HERR

ANDERS JOHAN PRYTZ

samt

KAPTENSKAN

WÄLBORNA FRU

HEDVIG MARIA PRYTZ,

FÖDD VON MELL,

DE HULDASTE, BÄSTA FÖRÄLDRAR,

Tillegnas desfa blad — såsom en ringa men välment gård af sonlig
tillgifvenhet, vördnad och tacksamhet — af

DERAS

Sdmjuklydigste söner

LARS JOHAN och LARS ADOLF PRYTZ.

LARO RIDIBUNDO

PERICULUM ORNITHOLOGICUM.

Ornithologiam, sive accuratam & exactam avium historiam, esse tractatu difficillimam, concedatur ab omnibus oportet, quum neminem prætereant, quam facili negotio oculis manibusque naturæ scrutatorum aves sese subtrahant; ut nec ullum fugiat easdem captas non nisi studiosissima cura ac diligentissima opera adhibita, maximisque sumptibus impensis in museis aservari. Desunt itaque Ornithologo occasiones opportunitatesque avium plurimarum congenerum simul inspicendarum & inter se conferendarum, quod tamen summi est momenti ac necessitatis ad certos constantesque nec fallaces characteres tam genericos quam specificos eruendos stabilien-
dosque. Harum etiam avium species diversis ex causis multiplici modo variant, coloribusque dissimillimis sæpe mire ludunt pro sexu, ætate, tempore anni, statione, cibo, ratione vitæ, morbofo corporis habitu (a). Hinc orta nominum confusione maxima valde premimur, eoque quidem majori, quod non solum aliis locis alia eidem avi imposita sint nomina, sed etiam in una regione plures eadem species obtineat denomi-

A

natio-

a) Hunc locum pluribus callide tractatum exemplisque egregie illustratum exhibet disertatio *De Variationibus Avium, quoad Ipsarum Colorem*, Præsidente Cel. Dom. HELLENIO, ab ALEX. CAJAN edita, Aboæ MDCXCVIII.

eamque omnibus numeris expletam absolutamque. Neque vero non videtur in plurimis hujus scientiæ scriptoribus animadvertendum, quod alterutram harum partium, si non plane neglexere, at minus saltem accurate ac studiose quam alteram tractavere, quam tamen, ut nostra saltem fert opinio, conjungendæ ita sint, tamque inter se arte cohæreant, ut descriptio sit quasi pro nota & indice habenda, cujus ope intelligas quorsum res ceteræ memoratæ pertineant ac referendæ sint. Evenit autem ut magnæ eruditionis laudisque viri & iidem veterani artis, careant avium examinandarum observandarumque occasione & opportunitate, quam contra tirones & scientiæ imperiti maxime idoneam rarissimo in ceteris fortunæ casu frequenter nanciscuntur. Quorum, persæpe segnium & negligentiam, incuriæ id jure tribuatur, quod res maxime memorabiles & quæ ab omnibus pernoscantur intelliganturque dignissimæ, oblivione jaceant obrutæ nec ad cognitionem sapientium, iis ad incrementum scientiæ utentium easque in utilitatem communem convertentium, pervenire possunt. Quamobrem historiæ naturalis amantem & decet & apud cultores ejusdem scientiæ magnopere commendat, & descriptioes accuratas avium a se visarum, & observationes circa ingenium moresque earundem factas memoriæ litterisque mandasse, atque bellissima hæc Ornithologiæ verissimæ ac perfectissimæ subsidia, viris doctis, eodem studio incensis ac plurimum in eo versatis, communicanda curasse.

Hæc omnia perpendentibus nobis & specimen academicum, ad scientiæ naturalis ditionem pertinens, edituris, historia a-

vis, minus hucusque cognitæ ac pluries in controversiam vocatæ, digna visa est, quæ materiam periculo juvenili idoneam nec sane inutilem exhiberet. Fortuna enim favens nobis aulam opportunitatemque suppeditavit, *Larum* ab auctoribus *ridibundi* nomine insignitum, non solum pluries examinandi & describendi, sed etiam indolem ejus, naturam ac mores, tum per aliquot annos in naturali ac fero statu, tum per dimidium annum in cicurato, sollicite observandi & diligenter annotandi. Speramus autem nos oleum & operam non plane perdituros esse, quam vires ingenii juvenilis experiri instituimus in historia hujus *Lari* conscribenda, ut qui Sveciæ, olim patriæ, avibus licet jure adnumeratus, non tamen nisi secundum littora Scaniæ habitare feratur, ibi quodque rarior visu; & in Fennia Ornithologis antea numquam fuerit obvius. Præterea in tot volucrum generibus, Falconum si exceperis, vix ullum inventurus eris, cujus species magis consultæ adhuc sint difficiliusque a se invicem distinguantur, quam *Larorum*; quippe qui coloribus in tantum pro ætate variant, ut ne retrices quidem, remiges partesve corporis denudatæ, quæ tamen characteres sufficientes ac minime fallaces alioqui sæpissime præbent, colorem servant constantem. Quare sane singularum specierum *Lari* generis historiæ rite explicandæ observationibusque illustrandæ, nulla non etiamnum incumbendum est cura operaque.

Larus ridibundus, quem nobis hoc opusculo tractandum proposuimus, nova avis auctoribusve ignota minime est habenda; quippe cujus mentionem jam fecit ALDROVANDUS &
post

post eum alii. Qui autem omnes, præter descriptiones, nec eas semper accuratissimas, nil nisi fragmenta nonnulla, ad illustrandam & ditandam L. ridibundi historiam minime sufficientia, tradiderunt (b). Neque nobis tantum inest fiduciaæ atque arrogantiaæ, ut arbitremur nos perfectæ omnibusque numeris expletæ hujus avis historiae condendæ pares esse. Quum vero non plane desperaverimus, nos, descriptione L. ridibundi accurate tradenda, & œconomiaæ ejusdem cognitione observationibus quibusdam novis augenda, aliquid adjumenti afferre posse Ornithologiae studiosis, auli sumus animum inducere, ut his saltem rebus perficiendis omni studio ac labore incumberemus.

Ne vero actum agere videamur, sed suum cuique tribuamus, notis subjunctis indicare statuimus, quodcunque aliunde desumptum fuerit a nobis in medium proferendum. Ut porro via & ratione procedamus, methodum, qua usus est *Rev. GOEZE* in *Fauna* jam laudata *Europæa*, ut quæ optime ordini ac perspicuitati servandis inserviat, nos quoque sumus sequuturi.

Agamus igitur pingui *Minerva*, ut ajunt. Te autem *L. B.* quaesumus, ut ne nostra quidem, quamquam haud pauci
mul-

b) Quam obscura adhuc atque manca hujus avis cognitione gaudeant Ornithologi, ex paucissimis quæ de ea *Rev. GOEZE* afferre valuit in *Europäische Fauna*, quam exactissimam eruditissimamque ex scriptis plurimorum auctorum collatis, propriis additis observationibus, conscripsit, facile licet judicare.

multa ex his spernant, fastidiose damnes, quum in contemplatione naturæ nihil possit esse supervacaneum.

Jam itaque ad ipsam materiem propositi accedentibus pertractandam, primum locum merito obtineat Lari ridibundi

DENOMINATIO.

ALDROVANDUS (c) primus Ornithologorum, quod quidem scimus, mentionem habet Lari nostri, non tamen certo ac proprio nomine insigniti. Post hunc pauci (d), & ii similiter, mentionem hujus Lari intulerunt, donec *Illustr.* à *Linneé*, corpora quævis naturalia sibi cognita in systematicam redigens formam, huic ut plurimis nomen impertiret unum definitum atque proprium. Placuit autem summo huic Virò *Larum* nostrum *ridibundum* appellare, quia vocem cachinno humano (ut auctoribus visum est) haud plane absimilem emittere valet. Quo nomine triviali, e *video* derivando, postea systematici eum distinxere. Similiter quoque nuncupatur linguis hodie vigentibus, e. g. gallice *Mouette rieuse* a *rire* & germanice *Lachmewe* a *lachen*. Tamen non omnia ejus nomina sonum respi-

c) In *Ornithologia* sua, edita *Froncofurti ad Mænum* MDCXXV. Tom. III Lib. XIX. Cap. IV. pag. 22 & Cap. VI. p. 27. paucis L. ridibundum describere conatur, & miserissimam quoque ejus figuram exhibet, L. c. p. 16. n. 8. his verbis superscriptam: *Larus cinereus alter, rostro pedibusque rubris.*

d) Quos citare neque quidquam attinet, quum scripta eorum nil lucis rei, in qua tractanda versamur, affundere possint; nec facile est, quia ex brevissimis obscurissimisque descriptionibus traditis eruendum sæpe vix est, quam intellexerint avem.

respicere, sed haud pauca, eademque saepius ei cum aliis avibus communia, aut colorem, aut habitationem, aut mores vel alia, in aprico est, & ex denominationibus jam afferendis clare elucebit.

Larus ridibundus: à LINNÉ * *Syst. Nat.* Ed. XII. Tom. 1. p. 225. sp. 9.

Larus ridibundus: RETZIUS * *Faun. Svec.* Lipsiæ. MDCCC. p. 159. n. 120. — Nomen avis Svecanum affert Scanis usitatum *Horsmåka*,

Larus ridibundus: ÖDMANN * *K. Sv. Vettenf. Acad. nya handl.* 1785. (Tom. IV.) pp. 120, 121. sp. 9.

Lachmewe: GOEZE * *Europäische Fauna*; Leipzig 1796. Tom. VI. p. 533-535. sp. 9. — Plures enumerat appellationes, quibus Germani avem hanc designare solent: *rothfüßige Lachmewe*; *graue Mewe mit dem Mohrenkopfe*; *Seekrähe*; *Braunkopf*; *rothköpfiger Seeschwalm*; *grosse Lachmewe*; *weisse Seeschwalbe*; *grauer Meer Schwalm*; quin etiam *Fischahr*.

Blackheaded Gull: PENNANT * *Arch. Zool.* Londini MDCCLXXXV. Vol. II. p. 529. n. 455.

Ejusdem Brit. Zool. Vol. II. n. 252. p. 541. (Ipse & Retzius citant.)

Ejusdem Zool. Scot. p. 41. t. 5. (Retzius citat.)

Gavia

* Libros asterisco notatos evolvendo & loca citata citationibus diligenter conferendo ipsi citavimus, quare fidem accuratæ eorum citationi obstringere audemus; reliquos ex auctoritate aliorum fide dignorum scriptorum attulimus.

Gavia ridibunda phœniocopus: BRISSON * *Ornithol.* Lugd. Batav. MDCCLXIII. Tom. II. pp. 413, 414. n. 14. Anglice avem *Pewit* nominari aserit.

Pewit 1. *Blackcap*: WILLOUGHBY (e) * *Ornithologia* Londini MDCLXXVI, p. 264. §. VI. (f) — Variationis quoque, *The See-crow* in Cestria nuncupatæ, facit mentionem.

Pewit 1. *Blackcap*: RAJUS * *Synops. Method. Avium.* Londini MDCCXIII, p. 128. n. 5.

Mouette rieuse (g): BUFFON * *Hist. Natur. des Oiseaux.* Paris MDCCLXXV. Tom. XVI. p. 232 sqq.

Hæc

-
- e) Descriptio avis ab eo tradita præstat certe omnibus reliquorum.
- f) PERTZIUS citatum locum aliter affert, scilicet; *Pewit* or *Blackcap*, *Crow*, *Mirecrow*: WILL. *Orn.* p. 347. Forte ex alia editione libri.
- g) GOEZE dicit hunc *Larum* a *Buffonio* appellari *Mouette rieuse à pattes rouges*; quo nomine forte in alio suo majori opere eum, ab *Atricilla* distinguens, insignivit; in libro a nobis viso, denominatione allata *Mouette rieuse* comprehendit & *L. ridibundum* & *L. atricillam* (Linn.), ut quos ejusdem speciei putat esse variationes. Præterea observandum est, BUFFONIUM obscuris ac pravis descriptionibus deceptum (ut probabile est), atque opportunitate avis suis oculis inspiciendæ carentem, largiter hallucinatum fuisse, avem a MARTENSIO descriptam & *Kirmewe* nominatam, cum *L. ridibundo* temere confundendo. Qua in re non possumus non maxime ab ejus sententia discrepare. Namque ad *L. ridibundum* minime pertinent pedes breves, cauda forficata, caput pileo tantum nigro, genis albis, in descriptione martensiana memorata. Cui vero eam perlegenti non subit *Sternæ hirundinis*, septentrionalium regionum incolæ, *Laræ* affinis, memoria? Quam tamen probabilem alioqui

Hæc scripta nobis in manibus fuere; quibus, ne plura huc pertinentia desiderentur, quæ Rev. GOEZE citavit, addere attinet:

Larus ridibundus: GMELIN *Syst. Nat. Linn. Ed. XIII. Tom. I.*
p. 601. sp. 9.

Lachmewe: MÜLLER *Linneisches Natursyst. II. 342. n. 9.*

Schwarzköpfige Lachmewe: BECHSTEIN *gemeinnütz. Naturgesch. Deutschlands. II. 219. n. 3.*

Lachmewe: BESEKE *Beytr. zur Naturgesch. der Vögel Kurlands.*
56. n. 102.

Lachmewe: FISCHER *Naturgesch. von Livland. 23 n. 96.*

Lachmewe: SEMSEN *Beschr. der Meklenb. Land- und Wasservögel. 224. n. 5.*

Larus cinereus: SCOPOLI *Ann. I. hist. nat. n. 105.*

DONNDORFF *Zool. Beytr. II. 1. p. 912. n. 9.*

Mirandum non est visu raram & apud nos fere incognitam avem nomen svecanum non invenisse præter provinciale *Horsmåka*: oriundum e verbis in Scania usitatis *Hors* (*häst*) & *Måke* i. *Måka* (*måse*, *fiskmåse*), eique e sono, hinnitum equi mentiente, datum. Hoc tamen nomen nobis quidem parum probatur, quippe & per se absurdum ineptumque, & verbis haud cuivis familiaribus atque in primis peregrino cognitu difficilioribus compositum. Quare aliud magis consentaneum proponere audemus; atque pace Lectoris *L. ridibundum* svecice dictum vellemus: SKRATTMÅSE, ut cujus denominationis

B

fimi-

sententiam ovorum color apprime coarguit. Confer MARTENS *Spitzbergische Reise* 1671. Hamb. 1675. Cap. 2. n. 10, p. 66 sqq.

simile quid in aliis linguis jam reperiatur, atque usu dudum familiare sit Ornithologis. Verum quidem est singularem avis sonum, unde & nomen invenit, hinnitus potius quam cachinnum referre, quamobrem vocabulum GNÄGGMÅSE haud nemini videri posset aptius; attamen quum analogia in denominando plurimi sit facienda, hoc non remur admittendum esse, sed illud potius sancendum, ut nec per se ineptum, & auctoritate jam pollens sat magna.

In insula *Lemlaxö*, ubi nos naturam *L.* ridibundi observavimus, indigenis parum cognita est avis, & frequenter cum congeneribus affinisque confunditur. Ibi Larum nostrum audivimus nuncupari: TRÄSKTÄRNA, *Tärna*, *Skivrmåsa*, vel etiam *Måsa* simpliciter. Quæ vero nomina, demto forte primo, inepta, prava & confusionibus erroribusque faventia, judicamus; sublata igitur hæc scire & nullo modo probata optamus, speramus. Sed hæc hæcenus.

Ordine vero jam sequitur

DESCRIPTIO;

quam ut accuratissimam traderemus, marem ætatis adultæ, mense Julio occisum, in manus sumere placuit, quem secundum singulas partes membratim verbis depingere sumus conati.

Igitur LARUS RIDIBUNDUS

STATURA similis est avium aquaticarum plurimis; scilicet in statione habens corpus horizontale, pedes rectos, strictos, collum procerum, erectum.

MAGNITUDE multum infra Larum canum subsistit. Pennarum copia & laxitas alarumque longitudo efficiunt, ut Columbam

ham circiter crassitudine æquet, sed longitudine superet, pennis spoliatus longe minor apparet.

LONGITUDINE (porrecto extenloque collo) a rostri apice ad caudæ finem $16 \frac{1}{2}$ pollices Sv. explet.

Ab apice rostri ad extremitates alarum complicatarum 19 poll.

LATITUDINE inter extremos apices alarum expanfarum $40 \frac{1}{2}$ poll. æquat.

GRAVITAS avis mortuæ $20 \frac{1}{2}$ semunciæ.

Obs. Carnosa quidem fuit avis & corpore quadrato, neque carina ossea pectoris extus sensibilis; adipe tamen omni caruit, præter pauxillum juxta colli latera.

COLOR ubique candidissimus, dentis capite, rostro, oculis, dorso, alis, pèdibus; quæ quidem singulatim breviter adumbrentur.

CAPUT fusco nigricans ad occiput usque; quo rostrum propius eo magis cinerascens; occiput versus & sub gula saturatius, nigrum.

ROSTRUM & *Sinus oris* sanguinea; *faux* & *rostrum intus* concolora, vel paullo quam extus dilutiora.

Obs. Cutis mandibularum, in primis superioris & ad basin ejusdem, rimosa, rimis albescentibus.

LINGUA ore pallidior.

NARES intus quoque sanguinæ, membrana in angulo postico concolori.

OCULI: *pupilla* cæruleo-nigricante; *iride* spadicea; *membrana nictitante* glauca, semipellucida.

PALPEBRÆ plus quam dimidia parte albæ, quæ albedo po-

ne oculum confluit, & instar annuli, antice interrupti, oculum fere cingit; *tarsis* sanguineis, verrucosis; intra quos & arcum album tenuissima series penularum nigrarum inferitur.

DORSUM omne canum.

ALA *composita*, disco concolori dorso, deorsum versus obscuriori; *marginē superiore, antico & inferiore* (linea longitudinali remigis primi excepta) totis albis; *postico*, ex apicibus remigum, nigro.

REMIGES primores 1-4 nivei, 4-8 cani; 6 primi rachī nivea, nigredinem apicis transeunte, nigra; omnes, præter 9 & 10, nigro-notati, sed aliter, scilicet:

1 albus, apice ac marginibus utrinque longitudinaliter nigris; quæ nigredo marginum nec cum apicis illa confluit nec ad basin extenditur, & in exteriorē limbo quam in interiorē longius tendit multoque saturatior est.

2 & 3 albi, apice & marginē interiori longitudinaliter dimidiato nigris.

4 extus albus, intus canus, apice marginēque interiori late nigris.

5 & 6 cani, apice & interiori marginē late nigris.

4-6 summa extremitate albo-terminati.

Obs. Remiges quo propiores sunt corpori, eo latius nigredo lateris interioris cum nigre-

gredine apicis confluit ac versus basin minus distincte finitur, sed quasi deliques-
cens diffunditur.

7 canus, rachi supra paullo obscuriore, sub-
tus alba, prope apicem utrinque nigro-
maculatus.

8 canus, rachi supra obscuriore, subtus al-
ba, intus prope apicem nigricans.

9 & 10 cani, rachi supra obscuriore, subtus
alba.

7-9 apicis margine exalbido.

*secundarii supra cani, rachi paullo obscuriore; sub-
tus dilutiores, rachi candida; quo interiores
eo pallidiores, intimi, præsertim subtus, om-
nino albescentes.*

TETRICES *primorum superiores* 6 primæ niveæ, ceteræ
canæ, basi albæ.

reliquæ omnes superiores canæ, basi albæ.

inferiores albæ, apice ex albo canescentes.

PENNE SCAPULARES remigibus secundariis concolores,

SUSTENTATORES ALÆ candidi.

PEDES, quatenus nudi, sanguinei.

Membrana digitos conjungens paullo obscurior.

Ungues nigri, subtus in medio rubentes.

*Pennæ canæ aut rachi tantum alba ad basin, aut radiis quoque
utrinque basin versus albicantibus gaudent; omnes trunco
colloque innatæ in ipso ortu cineræ.*

Plumæ cineræ, apicibus albis.

Ita

Ita jam depictis coloribus, singularum quoque partium externarum FIGURA & PROPORATIO membratim tractentur; in quo ubi rei satis apte & distincte verbis exprimendæ & effingendæ pares non fuimus, Larum nostrum Laro cano, vulgatissimæ avi atque ridibundo affini, comparare inutile non duximus.

ROSTRUM mediocre, capite paullo brevius, compressum, rectum; a basi ultra medium æquale, obtuse quinque angulatum, hinc attenuatum, anceps; angulo inferiore acuto, superiore rotundato; pro portione corporis quam L. cani longius, gracilius, minus validum minusque aduncum; basi circuitu $1 \frac{1}{4}$ poll.; longitudine ab apice ad sinum oris $2 \frac{1}{4}$ poll.; *mandibulis* subæqualibus, apicibus acuminatis, marginibus valde acutis, superiore inferiorem pyxididis instar claudente.

Mandibula superior a basi usque ad narium anteriorem angulum recta, sulco utrinque longitudinali profundo exarato, dorso inter sulcos compresso, rotundato; angulis lateralibus valde exstantibus; quibus omnibus inæqualitatibus juxta nares lævigatis ad apicem curvata, hamulo minuto inferiorem præcurrens; pone hamulum utrinque leviter emarginata; longitudine inter apicem & insertionem pennarum, dorso $1 \frac{1}{2}$, lateribus $1 \frac{1}{4}$ poll.

Mandibula inferior recta, marginibus accurate secundum superiorem formatis, præter emarginationem levisissimam, vix sensibilem, superioris emarginaturæ utrinque respondentem; infra pone apicem $\frac{1}{2}$ poll. obsolete angulosa, hinc ad basin linearis, apicem versus acu-

acuminata; pone gibber lateribus tantum corneis, fossam profundam, antrorsum versus subulatam, cute molli rostro concolore plumata tectam, includentibus; longitudine inter apicem & insertionem pennarum, subtus $\frac{7}{8}$ poll., ad latera 1 poll. & 5 linearum.

Rostrum intus, versus apicem mandibulæ superioris lineis tribus longitudinalibus elevatis. *Palatus* retrorsum dentatus e papillis in lineas tres longitudinales dispositis, quarum quæ intermediam efficiunt majores; quæ linea ante fissuram palati duplicatur & *marginis fissuræ* denticulis munit. Præterea ad latera linea valde elevata, postice ferrata; extra quam ad basin mandibulæ linea obliqua valde obsoleta e papillis minutissimis.

Obs. Papillæ cujusque seriei retrorsum magnitudine crescunt.

Margo faucis ciliato-dentatus.

Obs. Quæ de palato & fauce dicta sunt, eadem L. canus sistit etiam spectanda.

Rictus oris amplissimus, situ relaxato latitudine 1 poll., facile ad majorem amplitudinem expandendus.

LINGUA longitudine 1 $\frac{3}{8}$ poll., valde angusta, 3-angularis, subcomplanata, facie superiore reliquis latiore; apice membranacea, 2-fida; pone apicem utrinque membranula minuta alæformi, ex emarginatura linguæ ad utrumque latus orta; margine postico ciliato-dentato.

Obs. Interdum altera lacinia linguæ 2-fidæ major.

NARES paullo pone medium rostri, utrinque in sulco laterali $\frac{5}{8}$ poll. ab apice sitæ; lineares, antice vix latiores, 5 linearum longitudine, patulæ, perviæ. In angulo postico utriusque intus *membranula* laxa, oblonga, superne suspensa.

Obs. In ave facta valde coarctatæ sunt hæc membranulæ, ut facile visui sese subtrahant.

CAPUT mediocre, elongatum, altitudine dimidio longius, in angustiam rostri sensim migrans, ut fere formam conii, cujus basis fuerit occiput, simulet. *Frons* humilis, angusta, plana, minus quam in L. cano aut Sterna hirundine elevata,

OCULI mediocres, magnitudine fere pisi fativi. Ad situm eorum determinandum linea recta sumatur secundum rostri dorsum ducta & retro elongata, quæ ad $2 \frac{1}{4}$ poll. ab apice rostri distantiam finita oculi locum indicet.

COLLUM longitudine circiter pedum; crassiusculum, e pennis confertissimis, non nihil tumidulis.

TRUNCUS tenuior & gracilior quam L. cani; inter hunc & St. hirundinem intermedium hoc respectu tenens locum.

ALÆ amplissimæ, pro portione longitudinis angustæ. *Repositæ* $2 \frac{1}{2}$ poll. ultra caudam extremam protenduntur se invicem decusfantes.

Obs. Forma alarum L. ridibundus quoque inter nominatas aves est medius.

REMIGES *primores* 10: primus omnium longissimus, limbo exteriori tenuissimo, radiis striatioribus, ad rachin declive arcuæque appressis, interiore
latis-